Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uite mee ducere: ne propter temporalia ista et fluida aber-
nos et incorruptibilium excidam refrigerio.
Cui senex respondit: Si hoc feceris similis eris cuidam
iuueni sapientissimo de quo audiui quia filius fuit
ditissimorum parentum. cui pater suus desponsauit
filiam cuiusdam nobilissimi et per omnibus locupletissimi
uiri nimis pulcherrimam. Iouit autem sermonem cum puero
de nuptiis. et quoniam facere meditabatur annunciauit. Quod
ille audiens. et quasi rem malam ac nefariam respuens. re-
licto patre fuga elapsus est. Ambulans autem declinauit
in domum cuiusdam senis pauperis. propter estum diei. semetipsum
repausaturus. Tunc filia senis uirgo que erat ei unigeni-
ta sedens ante ianuam operabatur manibus: ore uero suo dominum
laudabat assidue. gratias agens ei de imo cordis. Huius autem
laudes iuuenis auscultans ait: Quid est illud tuum o mulier
studium. Cuius autem rei gratia cum ita sis paupera et tenuis quasi pro quibusdam
magnis donis. gratias referendo sic laudas datorem. Que
respondens ait: Nescis quia sicut exigua medicina de magnis
languoribus sepius liberat hominem: ita et in paruis dei donis
gratiarum actio magnorum auctrix efficitur bonorum. Ego quidem
filia sum senis pauperis. gratias tamen refero deo pro modicis istis
donis et benedico dominum. certa quia qui hec contulit et maiora ua-
let dare. Et ista quidem de his que extrinsecus sunt. et nostra non sunt.
ex quibus neque multa possidentibus lucrum aliquod prouenit. ut non
dicam quia sepius dampnum sustinent neque minora accipien-
tibus accidit detrimentum eamdem uitamque uiam pergentibus et ad eun-
dem peruenientibus finem. Ex his uero que magis sunt necessaria et
perfectissima multa et maxima accepi dei dona que innume-
rabilia sunt. Nam secundum imaginem dei facta sum. et ipsius
noticiam habere merui. et ratione pre omnibus animalibus sum predita. et
ab ipso deo inuitata sum. ad uitam pristinam mee ei cuius et mis-
teriorum particeps esse promerui et paradisi ianua apta est: fa-
cile si uoluero intrandum in perpetuum. Pro tantis igitur et talibus
donis que indifferenter diuites percipiunt. et pauperes ut dignum
est gratias agere penitus est impossibile. Si autem et modicam
istam laudationem largitori bonorum non obtulero qualem excu-
sationem habeo. Iuuenis itaque eximium illius stupens intellec-
tum eius patrem accersiuit: cui et dixit: Da mihi uxorem filiam tuam.
Adamaui enim illam. propter intellectum eius ac pietatem.
Tunc senex ait: Non licet accipere pauperis filiam. cum diuitum
parentum sis filius. Rursus autem iuuenis ait: Etiam hanc acci-
piam. si tu non negaueris mihi eam. Nobilium quippe et diui-
tum filia quedam mihi fuit desponsata. sed hanc respuens fugam
inii. filiam uero tuam propter pietatem quam habet in dominum et precla-
rum intellectum. adamans copulari mihi eam pre omnibus cogi-
taui. Senex autem dixit ad eum. Non possum tibi hanc dare: ut
ducas in domum patris tui et ab ulnis meis separes eam.

Unica enim mihi est. Sed ego inquit iuuenis apud uos manebo. et
uestram suscipiam conuersationem. Deinde et splendidum
deponens uestimentum. senis habitum postulans induit.
Tunc enim ille senex inmultis temptans eum. et uarie ipsius
examinans cogitationem. postquam cognouit firmamenti il-
lius stabilitatem et quia non amore insipientie detentus petiit
eius filiam. sed pietatis amore elegit pauperrime uiuere: Habe
preponens sue glorie et nobilitati. tenens eum manu introdux-
it in suum cubiculum et ostendit ei diuicias multas ibi
repositas. et immensum pondus pecuniarum quantum non uide-
rat aliquando iuuenis ille: et ait ad eum. fili hec omnia tibi do.
eo quod elegisti fieri meus heres substantie. Quam tenens
hereditatem ille. omnes superg[r]essus est gloriosos terre et diuites.
Dixit autem iosaphat ad barlaam. Conuenienter sa-
tis et ista me tangit narratio. unde et a te ista
dicta esse de me existimo. Sed que est examinatio per
quam cognoscere ~~ueritates~~ firmitatem mentis mee queris.
Cui senex ait: Ego quidem examinaui iam et cogno-
ui quia sis prudens et firme mentis et animi
uere rectissimi. Sed finis tue actionis intimam ista
corroboret. Huius rei gratia flecto genua mea ad
dominum nostrum inuitatem glorificandum omnium creatorem ui-
sibilium et inuisibilium qui semper est. et erit nec unquam
initium habuit: sua dignitas. nec habitura finem trinitatem
omnipotentem. bonum. et misericordem. ut illuminet ocu-
los cordis tui. et det tibi spiritum sapientie et reuelationis
~~magnitudine~~ magnitudinem ipsius. ut uideas que est spes uocationis eius.
et que diuitie glorie hereditatis eius in sanctis. et que super emi-
nens magnitudo uirtutis eius in nos qui credimus. ut iam
non sis peregrinus et aduena sed ciuis sanctorum et domesticus dei.
super edificatus super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso
summo angulari lapide christo ihesu. In quo omnis edifi-
catio constructa crescit in templum sanctum in domino.
Iosaphat autem nimium compunctus corde ait: Hec omnia
et ego desiderans scire: precor te ut ea que nota mihi faci-
as diuicias scilicet dei et super eminentem magnitudinem
uirtutis eius.
Tunc dixit ei barlaam.
Oro dominum ut ista doceat te. et sciam talium
infigat anime tue. quia apud homines ipsius enar-
rare gloriam et potenciam prorsus est impossibile.
et si omnes qui mihi et aliquando fuerunt hominum lingue una
fierent. Deum inquid euangelista et theologus nemo uidit
umquam. Unigenitus qui est in sinu patris. ipse narrauit.
Inuisibilis enim et inestimabilis gloriam et magnificenti-
am quis poterit terrigenarum comprehendere: nisi cui ipse reuela-
uerit quantum uult. sicut prophetis suis et apostolis reserauit. Hos
uero ex predicatione eorum et ipsa rerum natura uirtuta quod pos-

41